



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

**Vindalium, 1646**

Sectio IV. De diuisione in peccatum mortale, & veniale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**

## SECTIO IV.

*De diuisione in peccatum mortale  
& veniale.*

## CONCLUSIO I.

**C**elebris est diuio peccati in mortale, & veniale. De ea agit S. Thomas 1. 2. quæst. 88. cuius art. 1. docet, peccatum mortale, & veniale distingui, sicut irreparabile, & reparabile, peccatum enim dicitur mortale ad similitudinem morbi mortalis, quia ita vocatur, quia inducit defectum irreparabilem, per destitutionem principij vitalis. Sic ergo quia peccatum aliquod destituit principio vitæ spiritalis, quod consistit in ordine ad vltimum finem, talisque defectus reparari nequit per principia intrinseca, sicut neque error qui est circa prima principia, inde fit vt peccatum illud dicatur mortale; quasi irreparabile. Sunt autem alia peccata, quæ habent inordinationem circa ea quæ sūt ad finem, conseruato ordine ad vltimum finem: & hæc sunt reparabilia, adeoque venialia dicuntur.



DE PECCATIS. CAP. VI. 59

Huc refertur, quod à Theologis dici solet, peccatum illud dici mortale, quod mortem infert animæ, id est quod eam priuat vita spiritali, quæ in gratia sanctificante consistit, eamque addicit pœnæ æternæ, quæ est mors secunda. Illud verò veniale appellari, cuius remissio facile obtineri potest: quia non soluit amicitiam cum Deo, neque hominem, priuat illius gratia, sed tantum feruentiorem talis amicitia: usum retardat.

Art. 2. docet 1. peccatum mortale, & veniale differre genere ex obiectis. Interdum enim voluntas fertur in aliquid, quod secundum se repugnat charitati, per quam homo ordinatur in vltimum finem; & tale peccatum habet ex obiecto, adeoque ex genere suo: quod sit mortale. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur charitati, sicut verbum otiosum, risus superfluus, &c. & hæc peccata dicuntur venialia ex genere suo. Docet 2. quia actus morales recipiunt rationem boni, aut mali, non solum ex obiecto, sed etiam ex aliqua dispositione agentis; contingere quandoque id quod est peccatum veniale ex genere, fieri mortale ex parte agentis, propter malam



illius intentionem, vt dum ordinat verbum otiosum, ad committendum adulterium; & vice versa, id quod est mortale ex genere suo, fieri veniale propter imperfectionem actus: quia non procedit ex sufficiente deliberatione, vt contingit in subitis motibus infidelitatis.

Art. 3. docet 1. peccatum veniale ex genere, non posse per se primò disponere perfectè & directè ad peccatum mortale ex genere, cum differant specie. 2. peccatum veniale ex genere, posse indirectè disponere ad mortale ex genere; quia ex hoc quòd peccans venialiter, consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subiicere, disponitur ad hoc, vt etiam voluntatem suam non subiiciat ordini vltimi finis, eligendo id quod est peccatum mortale ex genere.

Vt autem istam meliùs percipias, Nota 1. peccatum dici veniale tripliciter, nempe ex genere, ex subreptione, & ob paruitatè materiæ. 2. S. Doctorem meritò affirmare, veniale ex genere differre à mortali, quia scilicet habet obiecta, distincta. 3. venialia ex subreptione, vel ex paruitate materiæ, posse in specie conuenire cum mortali, propter idem obiectum; vt communiter admittitur in



DE PECCATIS. CAP. VI. 62  
motu indeliberato, & deliberato forni-  
cationis; in furto parvæ, & magnæ quãti-  
tatis &c. Quia quòd actus sit magis aut  
minùs deliberatus; quòd magna, aut par-  
ua quantitas sumatur, non est differentia  
essentialis, sed tantum accidentalis se-  
cundum magis, & minùs. Nec refert  
quod peccatum mortale auertat ab vlti-  
mo fine, non autem veniale, cum quo  
in obiecto consentit; non enim inde ori-  
tur specifica distinctio inter hæc pecca-  
ta, cum auersio illa non fundetur, nisi in  
excessu quoad deliberationem, aut quan-  
tatem materiæ; adeòque non dicat ma-  
litiã specie distinctam, sed tantum ma-  
iorem in eadem specie. 4. S. Doctorem  
hic solùm inquirere, an peccatum ve-  
niale ex genere suo disponat ad morta-  
le, quia de aliis non potest aliqua esse  
difficultas, cum ad peccatum mortale  
comparentur sicut imperfectum, ad per-  
fectum in eadem specie: quare consen-  
sus indeliberatus disponit ad delibera-  
tum, & paruum furtum, ad magnum; si-  
cut calor remissus, ad intensum. Et de iis  
peccatis maximè verificatur illud Eccli.  
19. Qui spernit modica, paulatim deci-  
det.

CONCLUSIO II. Distinctio  
peccati mortalis, & venialis non est me-



rè extrinseca.) Explico. quando Catholici dicunt aliqua esse peccata mortalia, alia venialia, hoc duobus modis intelligi potest. 1. ita vt omnia peccata ex se, & natura sua sint mortalia, pœnamque æternam mereantur; dicantur tamen venialia extrinsecè, quia Deus ea non imputat, neque immittit pœnam quam merentur. 2. ita vt non omnia peccata sint ex natura sua mortalia, sed quædam ex propria conditione habeant, vt sint peccata leuia, nec mereantur priuationem gratiæ, aut pœnam æternam. Priori modo recentiores hæretici, post Vvicleffum, volunt peccata quædam dici venialia. Nos cum Catholicis posteriori, vt satis colligi potest ex præcedenti conclusione & adhuc ad maiorem veritatis illustrationem.

Probat, tum quia ex Scriptura dantur quædam peccata, quæ gratiam non expellunt, Proverb. 20. Septies in die cecidit iustus. 1. Ioann. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Iacobi 3. In multis offendimus omnes: quæ omnia, ex communi Patrum sensu, intelliguntur de peccatis, quæ à iustis & amicis Dei, sine dispendio amicitie perpetrantur.

Nec dicas; hoc non oriri ex ipsa na-



DE PECCATIS. CAC. VI. 63  
tura peccati venialis ; sed ex conditione  
personæ, seu quia illi à Deo non impu-  
tatur : nam præterquam quòd responsio  
hæc supponit, peccata non imputari præ-  
destinatis, quod falsum esse constat exem-  
plis Davidis , Petri, Magdalenæ, &c. ea  
non potest accommodari aliaris testimo-  
niis, quæ generalia sunt , & agunt de  
peccato veniali secundum se, vt habet lo-  
cum in omnibus hominibus, etiam iustis  
sive sint prædestinati, sive non.

Tum quia autoritate Pij V. & Gre-  
gorij XIII. damnatus est inter alios  
plerosque, iste articulus, nullum est pec-  
catum ex natura sua veniale , sed omne  
peccatum meretur pœnam æternam.  
Et in Concilio Trident. sess. 6. cap. 11.  
docetur, in hac mortali vita quantumvis  
sanctos, & iustos incidere in peccata ve-  
nialia, nec propterea esse iustos. Et sess.  
14. cap. 5. dicitur, nos teneri ad confi-  
tenda omnia peccata mortalia, aut venia-  
lia quibus à gratia Dei non excludimur,  
quamquàm rectè & utiliter in confessio-  
ne dicantur , ea citra culpam taceri,  
multisque aliis remediis expiari posse.

Tum quia incredibile est, spectato vel  
solo lumine rationis , quòd verbi causa,  
verbum otiosum, aut furtum oboli , aut  
actus vindictæ , sine plena deliberatione



elicitus, sit culpa adeò grauis, vt dissoluat amicitiam cum Deo, & peccantem poenæ æternæ reum constituat. Ista enim spectata in se, leuia sunt, fiuntque adhuc leuiora, si attendatur ad humanam fragilitatem, quâ tantopere ad peccatum inclinamur, vt non possimus, cum ordinariis gratiæ auxiliis, omnia eiusmodi peccata cauere, ex dictis in Tract de Grat.

Nec refert 1. quòd Deus, qui est infinitus, iis offendatur, ea enim infinitas est intrinseca respectu peccati, adeòque non impedit quin cõmittantur peccata ex se leuia, quæque proinde poenam æternam non mereantur. Eò vel maximè quia alioqui dicendum esset, plerosque de facto ob sola peccata venialia in æternum puniri; cùm dubium non sit, quin multi cum iis tantum moriantur, Deusque reddat vnique in alia vita, secundum opera sua.

Nec refert 2. quòd peccatum veniale pro nullo bono consequendo, aut malo vitando patrandum sit; hoc enim verum est, sed inde non sequitur, malitiam illius esse infinitam: quia cùm ex se verè peccatum & illicitum sit, id sufficit vt non possit licitè committi, quacumque ex causa.



DE PECCATIS. CAP. VI. 65.

Dices 1. peccatum veniale est contra legem, ut ex eo constat, quia generatim omne peccatum est prævaricatio legis, è præcedenti capite; ac præterea quia dubitari non potest, quin peccatum veniale repugnet rectæ rationi, quæ est quædam in nobis impressio diuinæ legis. Respondeo hoc aliquo sensu verum esse, quamquam simpliciter dici non solear, peccatum veniale esse contra legem Dei; quia per legem Dei intelliguntur communiter præcepta obligantia sub mortali, & quorum observatio necessaria est ad salutem, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quò fit ut malint Theologi dicere, peccatum veniale esse præter legem Dei, quàm contra illam; cum homo propter venialia non damnetur, etsi ad tempus propter illa à cœli ingressu retardetur. Sed quicquid sit de modo loquendi, quid vetat quin lege diuina prohibeantur peccata, alia graua, alia leuia, singulisque imponatur pœna proportionata?

Dices 2. quædam sunt peccata graua, etsi in materia leui versentur, nam primus parens peccauit mortaliter comendo pomum. Hinc autem colligitur, omnia peccata ex se esse graua & mortalia, ac proinde quòd interdum sint le-



uia & venialia, oriri ex misericordia Dei. Respondetur id non bene inde colligi, licet enim materia aliqua per se spectata, sit leuis; propter adiunctas tamen circumstantias, potest fieri grauis, ita vt circa illam peccetur mortaliter. Vnde primus parens grauiter peccauit, comedendo de fructu vetito, quia peculiare causæ suberant, propter quas Deus strictam obedientiam ab eo, in re alioqui indifferenti, merito postulabat.

Dices 3. quædam sunt mala, quia à Deo prohibita, ergo distinctio peccati mortalis à veniali, non ex rei natura, sed ex Dei voluntate petenda est. Non sequitur, quia etsi interdum aliquid non sit malum, nisi quia Deus id prohibet; posita tamen eiusmodi prohibitione, quòd operans contra illam peccet mortaliter, aut venialiter, id ex rei grauitate, aut leuitate, non autem ex Dei voluntate petendum est.

Dices 4. interdum à Patribus affirmari, quòd peccata venialia parua sint, id ex Dei misericordia oriri. Respondeo sensum non esse, ex misericordia Dei oriri, quòd peccata venialia in se parua sint, sed quòd parum nobis noceant, quia Deus facit vt ea non negligamus, &



DE PECCATIS. CAP. VI. 67  
consequenter vt caueamus mortalia, ad  
quæ neglecta disponerent.

---

SECTIO VLTIMA.

*An veniale possit fieri mortale.*

CONCLUSIO VNICA.

**P**eccatum veniale aliquo sensu po-  
test fieri mortale. ) De hoc agit S.  
Doctor art. 4. quæstionis citatæ vbi ait,  
peccatum veniale, fieri mortale, posse  
tripliciter intelligi. 1. vt idem actus  
numero sit iam peccatum veniale, & po-  
stea mortale. 2. vt quod est veniale ex  
genere, fiat mortale. 3. vt multa pecca-  
ta venialia constituent vnum mortale.  
Ait ergo peccatum veniale non posse  
fieri mortale primo modo, quia ad hoc  
requiritur mutatio voluntatis, adeoque  
actus distinctus. Posse tamen secundo,  
inquantum finis constituitur in peccato  
veniali, vel veniale refertur ad mortale,  
tanquam ad finem: posse etiam tertio, si  
sensus sit, plura peccata venialia facere  
vnum mortale dispositiue, vt patet ex di-  
ctis: non autem ita vt ex pluribus pecca-